
FF. Minor. Reformator. in Conv. Crac: Conclusiones theologicae ex secundo sententiarum.

1686



CONCLVSIONES THEOLOGICÆ.

Ex

SECVNDO SENTENTIARVM
Menti Subtilissimi Doctoris

IOANNIS DVNS SCOTI

Accommodatæ.

A

FF. Minoribus Reformatis, in
Conuentu Cracouiensi ad
S. CASIMIRVM.

Ad defendendum publicè exposita.

ANNO DOMINI, 1686. Die 8 Mensis Iulij,
Horis consuetis.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M.
Illustr. ac Rndiss. Dni Episc. Crac. Ducis Seueriæ,
Necnon Scholarum Nouoduorsc. Typogr.

m. m.m.

DE ANGELIS.

I.



Ngeli ſunt ſubſtantiæ merè ſpirituales nullam partem corpoream includentes, ſimplices phyſicè, & compoſitæ metaphyſicè; in eodem loco omnes ſimul creari, quonam, incertū: veri ſimilius, quod non in Empyreo, ſed in proximiori cælo, qui poſſunt eſſe ejusdem ſpeciei etiam de potentia ordinaria DEI. Incertum autem eſt, an defacto Angeli producti ſint omnes ejusdem ſpeciei, an diuerſæ; veriſimilius tamen videtur, non eſſe omnes ejusdem ſpeciei, aliquos tamen eſſe, quorum numerus eſt magnus, ſed quantus, incertum.

II.

ANgelus indiget ſpeciebus intelligibilibus, ad intelligendum abſtractiuè res non exiſtentes, tam poſſibiles, quàm præteritas, & futuras, non indiget verò ſpeciebus, in ordine ad cognitiones intuitiuas vllarum rerum exiſtentium, & præſentium, quas vt tales cognoſcit: ſi ſpecies habeant non tantum concurrere effectiuè; ſed etiam ita, vt terminari debeat cognitio ad ipſaſmet, probabilius eſt repugnare ſpecies Angelicas eſſe Vniuerſales, & etiam tales, quæ nunc hæc, nunc illa repræſentent.

III.

SI darentur Species Vniuerſales, adhuc non deberet dici, quod Angeli, quo perfectiores eſſent, exigerent vniuerſaliores, poſſuntq; acquirere ſpecies, à rebus nedum immaterialibus, ſed etiam materialibus ſingularibus, & quamuis haberent ſpecies infuſas, quibus intelligerent ſingularia, tam materialia, quàm immaterialia, adhuc illæ ſpecies non ſufficerent ipſis, ad cognoſcendum, quòd illa Objecta realiter exiſterent, ſed neceſſariò, deberent ab ipſis rebus ſiuè immediatè, & ſine ſpecie, ſiuè mediatè, mediante ſpecie accipere Cognitiones rerum quibus cognoſcant quod exiſterent.

IV.

SI Angelus haberet ſpecies ſibi concreatas, non acquiſitas ab ipſis rebus, illæ ſpecies non emanarent, aut profluerent ab ipſius eſſentia, aut intellectu. Et infuſio ſpecierum Ordinis naturalis eſt connaturalis Angelo, quatenus talis dicitur infuſio perfectionis naturalis cedentis in profectum Angeli; ſed non tam connaturalis, vt deberet cenſeri miraculum, ſi DEVS eas non infunderet. Angelus poteſt ſeipſum tam intuitiuè, quàm abſtractiuè cognoſcere, quo ad rationem particularem: ſed veriſimilius eſt, quod nunquam de facto cognouit ſe abſtractiuè.

V.

ANgeli non poſſunt cognoſcere ſecreta præſentia Cordis vllius alterius Angeli, aut hominis, illis inuitis, absq; reuelatione Diuina. Et ſententia tam aſſerens in An-

in Angelis potentiam cognoscendi naturaliter secreta Cordis esse in Angelis, & ideo eos non posse cognoscere huiusmodi secreta, quia Sc. DEVS decreuit non concurrere concursu requisito, ad ea cognoscenda, sicut concurrit ad cognoscenda alia Objecta; quàm negans talem potentiam, magnas patitur difficultates: probabiliùs tamen est, quòd sit in Angelis potentia naturaliter cognoscendi Secreta Cordis.

VI.

ANgeli possunt loqui inuicem per signa Corporalia, sicut loquuntur quandoque hominibus, & etiam alio modo quàm per talia signa, possunt etiam loqui absq; signis spiritualibus; & cùm sint subtilissimi Spiritus loquuntur producendo scilicet in Intellectu audientis speciem impressam Objecti de quo fit locutio, vel actum ipsum intelligendi, vel vtrumq; simul. Possunt quoq; naturaliter videre visionem Beatificam aliorum, & quoscunq; alios actus, & etiam Animam CHRISTI Domini, existentem sub speciebus Eucharisticis, non tamen possibilitatem Incarnationis.

VII.

VOluntas Angelica non necessitatur ad aliquem actum, posset q; naturaliter carere omni actu, vnde quamuis se necessariò cognosceret, aut etiam ipsummet DEVM, non necessariò alterutrum amaret vllo amore: est etiam mutabilis ita, vt postquam se determinauerit semel elicere aliquem actum, bonum, vel malum, possit resilire ab hujusmodi determinatione, aut elicere actum oppositum; & non habet esse formaliter in loco ab vlla operatione, aut applicatione virtutis suæ, sed per vbi spirituale in ipso subjectatum, sicut Corpus habet esse in loco per vbi Materiale; & locus ipsius potest esse diuisibilis.

VIII.

ANgelus non potest assumere Corpus, aut informando ipsum, aut terminando vnionem hypostaticam ipsius, sed assumit Corpus per hoc, quod sit motor intrinsecus ipsius in ordine ad tales operationes exercendas, vel verè, vel in apparentia externa, vt possit videri quòd Angelus esset forma informans illud Corpus; quando ergo apparet in forma hominis, aut alterius animalis, Corpus quod assumit est Corpus ante formatum, vel Corpus formatum de nouo ab ipso, ex applicatione causarum naturalium ad hoc sufficientium, in quo potest exercere omnes motus locales, non tamen operationes vitales sensitiuas interiores aut exteriores.

IX.

ANgeli omnes in primo instanti suæ creationis receperunt à DEO gratiam sanctificantem, juxta proportionem perfectionum naturalium ita, vt quo perfectioris sunt naturæ, eo maiorem receperint gratiam, quam poterant mereri de congruo, sed probabilius est quod non meruerint illam de facto; poterant etiam peccare in primo instanti creationis, de potentia non solum absoluta, sed etiam ordinaria, nullus tamen defacto peccauit in illo instanti, & poterant peccare appetendo æqualitatem cum DEO.

X.

DIabolus peccauit inordinatè concupiscendo vnionem hypostaticam, ac eam naturæ humanæ inuidendo, ac etiam inordinate appetendo beatitudinem supernaturalem, primum nihilominus peccatum quod commiserat, non fuit superbia propriè dicta, sed amor inordinatus sui, quo concupiuerat sibi seipsum, vt objectum delectabile, ac delectationes spirituales ex se, & alijs Objectis, ex quibus capi po-

)(2 terant

terant inordinatè, qui damnatus non ita necessitatur ad actus malos vt non possit elicere aliquos bonos.

De Statu hominis, ante & post lapsum.

I.

ANte lapsum verisimile est inditas esse à DEO Primo Parenti scientias omnes naturaliter acquisibiles, ac artes omnes, saltem necessarias pro statu innocentiæ ac eas etiam, quæ facile acquiri non possent, & essent valde vtiles in initio mundi post ejectionem è Paradiso, & omnes virtutes morales; habuit quoq; Intellectum non dependentem à phantasmatibus, & sensibus in intelligendo, & gratiam sanctificantem, & consequenter fidem, spem, & charitatem, in primo instanti, quo habuit vsum rationis, siue illud instans sit primum instans Creationis, siue non; fuit etiam in Parentibus nostris appetitus sensitiui subjectio ad rationem, quæ oriebatur partim ex optima complexione, partim ex ornatu virtutum, & principaliter ex particulari ordinatione DEI & assistentia.

II.

POtuit ex natura rei compati cum peccato mortali status Innocentiæ quo ad alias perfectiones, exceptâ gratia, & verisimile est defacto, eum etiam non fuisse amissum, per alia peccata mortalia commissa à primis parentibus ante esum pomi. Iustitia Originalis Adæ, non coincidens cum gratia habituali sanctificante ipsius, consistit in donis illis, à quibus habet esse justus per gratiam & facilis in omni occasione ad benè operandum, sine rebellione partis inferioris ad superiorem; ac etiam immortalitate, quam haberet, si non peccaret; non verò in aliqua vna qualitate, quæ tribueret omnes illos effectus.

III.

OMnes filij procreati ab Adamo, siue immediatè, siue mediate in statu innocentiæ, haberent justitiam originalem; quæ tamen non transfunderetur ab Adamo in eos physicè, an verò transfunderetur moraliter meritoriè est incertum; probabilius tamen est quod transfunderetur. Primum peccatum Adæ fuit inordinatus amor Euæ, primum vero peccatum Euæ fuit superbia; quæ si considerentur quantum ad speciem intrinsecam, multa hominum peccata sunt grauiora ipsis si verò considerentur ratione status eorum, & nocumenti sequentis erant grauiora peccatis reliquorum hominum.

IV.

PEccatum Originale contractum à posteris, non est Substantia, neq; Concupiscentia, aut qualitas morbida transfusa in Adæ posteros ob ipsius transgressionem, subjectata in anima, ac deriuata ab alia qualitate morbida subjectata in Carne; sed est ipsummet peccatum Adæ manens in ipsis moraliter, non minus quantum ad effectum constituendi ipsos inimicos DEI & dignos priuatione gloriæ; quam si esset actualiter in ipsis, ex eo quod moraliter peccauerint in ipso, quando ipse physicè & realiter transgressus est mandatum DEI. Cui debetur non solum pæna damni, sed etiam positiua, tam interior, quæ concipitur ex amissione & carentia perpetua beatitudinis supernaturalis, quàm alias consequerentur in cælo, quàm exterior quæ causatur ab aliquo alio objecto disconuenienti, quæ vocatur pæna sensûs.

De-

De Virtutibus Supernaturalibus.

I.

VIrtutes per se infusæ concurrunt physicè ad suos actus, sed non tanquam Causa adæquata ita, vt ipsæmet potentiæ non attingant physicè productionem eorum tam benè quàm productionem vllius alterius actus, quem partialiter tantum attingunt. Et non distinguuntur ab acquisitis per Ordinem ad Objectum, siue motiuum, siue terminatiuum Quod, aut Quo ita vt ex diuersitate aliqua, quam habent ipsarum Objecta ab Objectis acquisitarum possit aliquis cognoscere, quod sint diuersæ speciei ab acquisitis; quæ non prærequiruntur necessariò nec quo ad habitum, nec quo ad actum, ad Virtutes morales, Beatitudines, dona, & fructus, reducuntur ad Virtutes morales acquisitas, & ad infusas.

II.

NEc DEVS ipse, nec veracitas ipsius in dicendo, & cognoscendo, nec vtrumq; est Objectum adæquatum formale motiuum fidei, sed est testimonium, aut reuelatio Diuina sola, quantum est ex parte intellectûs. Materiale vero Complexum fidei habitualis, & actualis, est omnis propositio vera, quæ non necessario debet videri clarè, & euidenter à quocunq; intellectu, in qua non inuoluitur negatio potentiæ ad reuelationem, nec negatio concursus Diuini, requisiti necessariò ad hoc, quòd eliciatur actus fidei; si autem aliquod vnum ex pluribus Objectis incomplexis fidei statui debet, quod sit Objectum adæquatum ejus, DEVS ipse est Objectum adæquatum Materiale incomplexum fidei.

III.

DEVS nequit, etiam de potentia absoluta mentiri per se, neq; per alium dando scilicet illi authoritatem vt mentiatur nomine DEI, aut concurrendo concursu vllo particulari cùm ipso, ad id faciendum, nequit etiam producere in intellectu talem errorem, quo quis existimaret propositionem veram esse falsam, aut è contra; & ita eam concipi à DEO; posset tamen habitum inclinantem ad talem errorem producere. Habitus fidei tendit in aliquos actus, qui secundùm se præcisè considerati sunt practici, & in aliquos, qui sunt speculatiui, nihilominus fides simpliciter dicenda est practica; & si daretur, aut posset dari aliquis actus fidei discursiuus virtualiter, nihil impedit, quominus daretur aliquis actus fidei discursiuus formaliter.

IV.

NEcessaria est aliqua regula infallibilis, proponendi ea, quæ sunt reuelata à DEO, vt necessariò, credenda, cui omnes debent se conformare, quando proponitur ipsis: & hæc est Scriptura Sacra, & traditio aliqua non scripta in libris illis, qui defacto habentur pro Scriptura Sacra ita, vt vnusquisq; debeat habere pro articulo fidei, quidquid pro tali per talem traditionem proponitur. Concilia verò particularia non sunt infallibilis regula, proponendorum mysteriorum fidei, seu reuelationum Diuinarum. Authoritas autem Concilij generalis, & vniuersalis, nomine totius Ecclesiæ legitimè congregati, & approbati, est infallibilis regula fidei, quantum ad illa, quæ proponit de fide credenda.

V.

CVilibet compoti rationis, cui proponuntur sufficienter mysteria fidei, est necessaria fides actualis proquolibet statu, & multo magis cuilibet peccatori adulto in peccato mortali existenti idq; necessitate tam medij quàm præcepti; & post la-

psum Adæ semper fuit necessarium omnibus, quibus vlla fides actualis erat necessaria, actualiter credere, quòd D E V S mitteret, vel miserit aliquem qui redimeret genus humanum à peccatis; & quo mediante possent acquirere regnum æternum, quod aliàs non consequerentur: non erat autem necessaria fides explicita Christi sub conceptu vnius, qui esset D E V S, & homo, & sua passione, ac morte redimeret genus humanum necessitate medij ante ipsam Incarnationem factam.

VI.

QVamuis probabile sit, spem actualem esse actum Intellectûs, probabilius tamen est quod consistat in desiderio boni absentis. Vnde si habitus spei ponatur in voluntate tanquam principium desiderij concupiscentiæ, erit etiam principium tentionis, hoc est actus, quo quis vult & amat se, possidere bonum desideratum, quando possidet ipsum, quatenus bonum suum est, consequenter habitus spei manet in Patria, & fuit in Christo Domino. D E V S potest de potentia absoluta non solùm iusto, sed etiam peccatori reuelare damnationem, cui autem fieret talis reuelatio, licitè desperaret nolendo beatitudinem, non tamen licitè desperaret omittendo obseruantiam præceptorum.

VII.

OBjectum materiale primarium charitatis est D E V S ipse & etiam adæquatum, capiendo Objectum adæquatum pro aliquo vno ex omnibus, in quæ potest tendere, formale verò est, quæcunq; perfectio intrinseca D E I, secundùm quam concipitur, quando amatur, & propter quam amatur: ex varijs autem perfectionibus ipsius, secundum quas posset amari, ipsamet ratio Deitatis est Obiectum formale principaliùs. Nemo tenetur pro primo instanti vsûs rationis, qualis sufficeret ad peccandum ad amandum D E V M, ita vt si non amet peccet mortaliter ob omissionem amoris, benè tamen obligatur ad amandum D E V M pro primo instanti vsûs rationis, quo proponitur ipsi D E V S, & præceptum de eo amando super omnia.

VIII.

DEbet amari proximus ex motiuo charitatis expressè, & formaliter; & non sufficit ad satisfaciendum huic obligationi, quod ametur D E V S directè; & quod præterea velit quis ex motiuo aliarum virtutum succurrere proximo in necessitatibus; vnde tenetur quilibet ex charitate cum graui damno temporali suo, succurrere extremæ necessitati temporali proximi, cui alias prouideri non potest per seipsum, & debet præferre bonum spirituale proximi, bono temporali proprio ita, vt aliquando debeat exponere vitam suam pro tali bono proximi. Duellum ad ostentationem virium, aut artis, & etiam ad tuendum honorem, est illicitum, duo vero damnati ad mortem possent licitè duellum inire, si Princeps donaret vitam victori.

De Actibus Humanis.

I.

VOluntarium vt sic est actus, quo quis appetitu tendit in Objectum propositum, per cognitionem suam. Actus imperati ad quos necessitaretur voluntas ex imperio suo, essent ipsi voluntarij voluntarietate vt sic, non tamen voluntarietate libera libertate indifferentiæ; illi vero actus, ad quos cogeretur non essent vllo modo voluntarij, sed inuoluntarij. D E V S potest ne-

test necessitare voluntatem ad actus elicitos producendo illos in voluntate se solo illa mere passiuè se habente, & tum essent inuoluntarij tam involuntarietate vt sic, quam indifferentiæ; non tamen potest necessitare ad illos, voluntate effectiuè simul concurrente, alio modo quam moraliter.

II.

Actus humanus est actus liber, & propterea ille qui est liber humanus dicitur, quia procedit ab homine modo quodam periculari, nempe liberè libertate indifferentiæ, quo non procedunt aliæ actiones nec ab ipso, nec ab alijs rebus. Actus etiam moralis hominis est actus liber eius, & dicitur moralis, quia ex modo quo procedit ab homine habet conditionem, seu rationem aliquam particularem, ob quam existimari solet, dignus laude, vel vituperio, si cætera ad hoc requisita adessent. Ad bonitatem actûs eliciti prosecutionis, non sufficit quod cognoscatur bonitas ipsius objecti esse honesta; nec ad actum fugæ sufficit cognoscere malitiam inhonestam objectiuam, sed requiritur vlterius quod non videatur aliqua circumstantia mala.

III.

Bonitas substantialis actûs, sumitur ab Objecto in quod tendit, aliquando etiam actus sumit, bonitatem distinctæ speciei ab illa quam sumit ex objecto à Circumstantijs, aliquando non; sed illa ipsa bonitas, quam habet ab Objecto augetur ratione aliquarum circumstantiarum, & bonitas illa, quæ oritur ex circumstantijs cognitis debet intendi directè & positiuè ab operante, non minus quam bonitas ex Objecto desumpta; eodemq; actu potest quis intendere duas bonitates objectiuas, quarum quælibet esset particulare motiuum; non potest tamen intendere duas, quarum vtraq; aut vna sit motiuum totale. Actus externus superaddit actui interno bonitatem vel malitiam distinctam.

IV.

Dantur actus moraliter indifferentes ex Objecto, & in indiuiduo, qui neq; ex Objecto, neq; ex vllis circumstantijs habent bonitatem honestam, aut malitiam, etiam cum plenissima deliberatione. Ratio formalis peccati non consistit in respectu rationis sequente ipsam entitatem positiuam actûs, neq; in respectu reali, aut in negatiuo; sed in hoc, quod tendat liberè in Objectum quod proponitur vt prohibitum, aut indecens; quod peccatum habet physicam oppositionem contrariam cum actu Virtutis, tam naturalis, quàm supernaturalis, non tamen magis particularem habet necessariò contrarietatem, cum vllo actu virtutis talis, quàm cum actibus aliarum virtutum, aut actibus malis.

V.

Nvllum peccatum mortale in ratione offensæ includit formaliter intrinsecè grauitatem simpliciter infinitam, sed tantùm infinitam secundùm quid, extrinsecè Sc. & Objectiuè, neq; habet hoc ex natura sua, seclusa ordinatione Diuina, quod inducat priuationem amicitiæ cum DEO, filiationis adoptiuæ, & obligationem ad pænam æternam damni, & sensûs, & per hoc præcisè quòd DEVS aliquid prohiberet non apparet, quòd transgressio illa sit tam grauis, vt mereatur pænam æternam damni, & sensus. Nulla etiam peccata venialia, sunt talia ex natura sua quin possint prohiberi, sub pæna peccati mortalis, & reddi mortalia; vnde quod sic non prohibeantur, oritur ex bonitate & misericordia DEI.

VI.

VI.

VIrtutes morales appetitus ſenſitiui poſſunt inclinare ad bonos & malos actus, & omnis Virtus moralis, habet medium inter duo extrema ſic, vt poſſit in Materia Virtutis minus, ac majus adhiberi, quam Virtus requirit ex natura Virtutis, ita vt non ſit actus Virtutis illius, aut minus aut majus exhibere. Voluntas non ſolum eſt capax Virtutis juſtitiæ, ſed temperantiæ, & fortitudinis, & conſequenter omnium Virtutum, quæ ad has tres reuocari ſolent, vt ſunt omnes omnino quotquot dantur; vnde non ſolum ponendi ſunt in ea habitus Virtutis, circa procurandum bonum alienum, ſed circa proprium, nec ſolum vt exerceat operationes, ſed vt moderetur paſſiones.

VII.

POnendi ſunt habitus in appetitu ſenſitiuo; qui ſcilicet facilitent [illegible]m ad proſequendum bonum delectabile in ea mediocritate, in qua recta r[illegible] dictaret, ipſum eſſe proſequendum, & qui virtuoſi dicendi ſint, non quod ex[illegible] tendant in bonum honeſtum; ſed quod tendant in ipſum, quatenus actus eorū im[illegible]erantur à voluntate ex amore honeſtatis; aut quatenus tendunt in illam medio[illegible]ritatem, quæ habet honeſtatem objectiuam ex natura ſua. Et prudentia habitua[illegible] debet poni in Intellectu, quæ dictat de fine & medijs in particulari, & non [illegible]na ſimplex Qualitas; ſed quid aggregatum ex pluribus.

VIII.

QVi erroneè judicat aliquid eſſe bonum, aut non malum, qu[illegible]uera à parte rei malum eſt, ex ignorantia vincibili per culpam anteceden[illegible]n, ſiue Craſsâ, qualis eſt, quam habet qui negligit inſtructionem, non tame[illegible] finem habendi ignorantiam; ſiue affectatâ, quam habet qui inſtructionem [illegible] ad finem non cognoſcendi ſuam obligationem, non peccat conforma[illegible]ri, licet peccauerit antecedenter, quando omiſit inſtructionem, [illegible]notitiam acquirere. Quando proponitur probabiliter [illegible]iq, pars oppoſita ſit bona, poteſt ſine dubio quis, quam voluerit facere.

A. M. D. G. I. C. B. V. M.
& S. P. N. F. H.

Cursus Theologicus Speculativus ad mentem D. Thom. Aquinatis Doct. Angelici.